

denter consideratis, visum nobis fuit quod Serenus contra haec sua ostendere scripta debuisset. Set isdem tunc confessus est nil se aliud preter unum habere privilegium, quod a decessore nostro Gregorio pro usu sibi pallii concessum fuerat, in quo habebatur quod, licet regis Langobardorum praecibus pallii consecutus fuisset benedictionem, non ob id gloriaretur, set esset, quasi non accepisset, in eo tantum contentus, quod tunc usque obtinuisset, id est Foroiulensi episcopatu, nec unquam Gradensis dicionis iura patriarchae contingere praesumpsisset: quod si inobediens aliqua fultus elatione comprobaretur, edicto apostolici vigore concilii ipse se gratia collati pallii ex praesumptione indignum ostenderet et iudicaret. Non enim, his auditis, contempnentes sancta patrum atque ecclesiastica statuta, Sereni culpa latere diu potuit, pro qua ab episcopali collegio esset definitione patrum extorris et sacerdotali offitio nudatus, nisi confitentem suae temeritatis reatum et a tali deinceps cessare praesumptione sub iurisiurandi religione spondentem eum apostolica praeveniret compassio, qua instruimur, severitatem legum bonitatis indulgentia temperare. Preterea nos ecclesiae Dei utilitati praevidentes et, ne ultra talis eandem vexaret disceptatio, consedentium fratrum definitione episcoporum liti finem imponentes, stabilimus, ut Novae Aquilegiae id est Gradensis civitatis Antoninus patriarcha sui que successores tocus Venetiae et Istriae, quae nostra sunt confinia, remota omnium insolentia ac tergiversatione, primates perpetuo habeantur; Foroiulensem antistetem Serenum suosque successores Cormonensi castro, in quo ad praesens cernitur sedere, in finibus Langobardorum, solummodo semper esse contentos; statuentes insuper et ex apostolica auctoritate nulli unquam haec, quae a nobis pio promulgata sunt pro unitate aecclisiae intuitu, in quoquam violare aut aliqua licere transgredi praesumptione, set perpetuis temporibus ab omnibus sanctae ecclesiae Dei fidelibus inviolata sub interminatione futuri iudicii observari ac inconvulsa manere. Qui autem huius nostrae definitionis violator extiterit, nostro anathemate sic pereat, ut in